

Die Geschehisse Glanfeuils vom 9. bis 13. Jahrhundert sind vielfach tragisch; was weiter folgt, namentlich in der Hugenottenzeit und während der großen französischen Revolution, ist es nicht minder. Die neueste Geschichte mit ihrer Restauration und bald darauf folgenden Vertreibung paßt merkwürdig zur alten Vergangenheit.

Congregatio Hispano-Benedictina alias Sancti Benedicti Vallisoleti.

Auctore D. Fausto Curiel, O. S. B. Hispano-Casinensi P. O.

(Continuatio ad fase. II—III. 1906. pg. 270 281.)

§ VIII.

De locis annexis.

Omnia fere Monasteria Congregationis Vallisoletanae habebant plura loca annexa, quorum alia „Filiaciones“ vocabantur, erantque Abbatiae minores non Capitulares, alia Prioratus¹⁾ et Grangiae; ac praeterea multas Paroecias, in quas nonnulla Coenobia iurisdictionem quasi episcopalem exercebant.²⁾ Ad horum locorum regimen refertur caput XXXIV huius partis Constitutionum.³⁾

Abbatas, Priores ceterique Superiores huiusmodi locorum eligebantur a Praelato maiori, ut supra dictum est § II, initio sui regiminis cum consilio Seniorum, et pro Abbatiis ac Prioratibus iurisdictionem quasi episcopalem habentibus servanda erant ea omnia quae Constitutiones requirebant ad talium locorum provisionem (1). Horum Superiorum regimen durabat ad quadriennium, nullus enim ultra id tempus in illis locis degere poterat absque licentia Rmi. Abbatis Generalis et consensu Seniorum Monasterii maioris (7). Pro illis qui praeficiendi erant Paroeciis requirebatur aetas quadraginta annorum secus eligi poterant qui essent virtute ac doctrina praestantiores (6). Potestas et iurdictio fere tota pendebat ex Praelatis maioribus, quorum visitationi bis subiectae erant Abbatiae durante quadriennio, ter vero Prioratus et alia loca minora (15, 16). Horum quoque confessarii

¹⁾ Capit. Gen. 1828 exoravit ut tollerentur Prioratus qui curam animarum non haberent. n. 5.

²⁾ Praecipua erant Sahagun, Montserrat, Nagera, S. Millan, Samos et Exlonza. Vide cap. VIII. Part. I. Constit. n. 10.

³⁾ Constitut. antiq. cap. 59.

approbabantur a Praelato primario, non autem pro Domibus abbatiali dignitate insignitis (10).¹⁾

Abbatiae minores et nonnulli Prioratus habebant proprium Conventum ex monachis ibidem seu pro eis professis (cap. VI, 5), qui ad alia Monasteria non transferebantur, nisi servatis servandis (XVII, 1, 2). Praeterea illuc etiam mittebantur monachi domus maioris post duodecimum professionis annum, aetatis vero trigesimum, a qua lege excludebantur qui in Collegiis vixerant, pro quibus sufficebat quod in Monasterio per quadriennium degissent (XXXIV, 2). Prohibitum erat Definitoribus, Visitoribus, Magistris et Praedicatoribus generalibus in hisce locis conventuales esse aut regimen tenere absque Rmi. Generalis venia (3). Maxime cavendum erat ne Monachi seorsim habitarent in Prioratibus et locis annexis sine gravi causa et maxima utilitate. Priori curam animarum habenti designandus erat socius pro concionibus, si ille minus aptus ad hoc munus inveniretur (11).

In omnibus huiusmodi Coenobiis servanda erat clausura monastica,²⁾ et ubi degebant quatuor Monachi vel in Domo in oppido praecipuo existente, adhibendi erant nonnulli Fratres conversi pro servitio, aut saltem famuli saeculares (8).³⁾ Divinum officium, ceteraque monasticae vitae exercitia ordinanda erant quemadmodum in Monasteriis maioribus (9). Si saltem quatuor monachi ibi degebant, tenebantur celebrare exequias et facere suffragia pro fratribus ibidem defunctis, secus persolvenda erant haec omnia in Monasterio principali (XII, 5).

§ IX.

De Fratribus Conversis.

Quantum fieri posset excusanda erat receptio ad habitum illorum qui pro servitio Chori apti non erant; ideo si quis tanquam Conversus recipi peteret, Praelatus illum induere nequibat nisi praehabita licentia Rmi. Abbatis Generalis, secus is candidatum dimittere, atque Superiorem ad quatuor menses ab officio suspendere valebat (XXXV, 1). Fratres Conversi induebantur a Praelato, aut ab alio monacho eiusdem iussu, et praesentibus tantum senioribus (3). Eis praeficiebatur monachus senex qui pariter erat Magister omnium Conversorum, cui etiam tribue-

¹⁾ Capitulum Gen. an. 1725 prohibuit ut mitterentur ad Paroecias, officiae extra Monasterium obtinerent qui nondum approbati essent ad audiendas confessiones, quod iterum decretum fuit an. 1761 (Muñoz, § I, n. 28) itemque an. 1801 (Ms. n. 19).

²⁾ Capitulum Gen. an. 1781 iussit ut circumscriberentur limites in locis ubi clausura omnino servari non poterat, extra quos transire non liceret. (Trasunto, n. 11.)

³⁾ Capitulum Gen. an. 1725 prohibuit ne inservirent mulieres minores quadraginta annorum in Prioratibus et Grangiis. (Muñoz, § I, n. 44.)

bantur facultates, quas habebant magistri novitiorum chori respectu eorumdem (5).

Transacto laudabiliter novitiatus tempore, requisito consensu Seniorum et praehabita quoque licentia Rmi. Abbatis Generalis, Fratres Conversi faciebant solemnem professionem,¹⁾ secus in Congregatione non admittebantur nisi gravi urgente necessitate (4).²⁾ Solemnitas professionis fiebat in Oratorio coram Abbate vel Priore, aut alio monacho ex delegatione illius (12), et praesente quoque notario publico, qui rei testimonium praeberet in Codice membraneo pro Conversorum professionibus destinato (13).³⁾

Habitus Fratrum Conversorum erat tunica panni suboscuro coloris, quae duobus digitis infra genua protendebatur, scapulare nigrum eiusdem longitudinis, sed strictum sicut scapulare Juniorum (XXVIII 29, XXXV, 4), pallium et caputium rotundum, exceptis novitiis (loc. cit. XXVIII.); quae omnia ipsis distribuenda erant a Praelato, durante eius quadriennio, sicut ceteris monachis (31). Non licebat eis uti linteis in lecto, neque camisiis sed tunica staminea praeterquam cum infirmabantur, aut ad quinquagesimum aetatis annum pervenerant, vel qui domi aut in agro labores graves haberent (29); qui omnes pariter a ieiunio eximebantur; ceteri autem ieiunare debebant iisdem diebus quibus monachi. Refectionem sumebant semper post Conventum, unusque monachus a Priore designatus legebat lingua vulgari ad eorum aedificationem (XXVII, 19).

Assistebant cum monachis orationi mentali, disciplinae et explicationi Sanctae Regulae diebus Capituli, qua finita, nisi quis adversus eos clamaret, statim exhibant (XXXV, 7). Dominicis diebusque festis tenebantur adesse Tertiae, Missae Conventuali, Vesperis et Completorio, et in Adventu ac Quadragesima etiam Matutino (6). Semper et ubique locum tenebant post Novitios Chori (9). Confessionem ac Communionem frequentare debebant sicut monachi non Sacerdotes et sub iisdem poenis si negligenter (8).

Recitabant pro Matutino et Laudibus tertiam partem Rosarii B. Mariae V., itemque pro Vesperis; pro qualibet alia hora duas

¹⁾ Sic decretum fuit in Capitulo Gen. an. 1605. Antea enim fratres tantum faciebant professionem simplicem. Conf. Vitam F. Josephi a Sto. Benedicto. Epist. V. inter diversas. p. 186.

²⁾ Ex hoc capite apparet quod in Monasteriis aliquando erant alii familiares. In Privilegiis Congregationis frequenter occurrit etiam mentio Donatorum et oblatorum, qui forte sunt qui in aliis vocantur »commissi« (pag. 45, 58, 62), quo nomine designantur etiam Conversi. (pag. 89.)

³⁾ Haec erat formula professionis: »Yo fray N. prometo delante de Dios y de los Santos Obediencia, pobreza y castidad, segun la Regla de Nuestro Padre San Benito; y me dono perpetuamente á este Monasterio de N. y á toda la Congregacion en presencia del Muy Reverendo Padre Fray N. Abad del dicho Monasterio, y debajo de la obediencia del Reverendísimo Padre el Maestro Fray N. General de toda la Congregacion.« (loc. cit. n. 12. Ceremonial. pag. 766.)

decades, sed ad Primam addebant Symbolum et Confessionem, itemque ad Completorium, quod finiebant Salve Regina; praeterea quotidie tertiam partem Rosarii pro Animabus Purgatorii (11).

Denique Fratres Conversi et heremitae Montisserrati, ex horum gradu provenientes, transire non poterant ad Ordines sacros absque Capituli Generalis licentia, et licet sacerdotium ita susciperent, tamen manebant in gradu suo, nec unquam in Monasterio potiebantur voce activa nec passiva (14).

§ X.

De Monialibus earumque Vicariis.

Praeter Monasteria virorum erant quoque in Congregatione Vallisoletana nonnulla Coenobia Monialium, Capitulo et Abbati Generali immediate subiecta ¹⁾ pro quarum regimine extant in hac parte Constitutionum duo ulteriora capita, quorum summam hic subiicimus.

I. De Monialibus. ²⁾

Moniales observare debebant Sanctam Regulam, constitutiones Congregationis, ejusque ceremonias et consuetudines in quantum eisdem attingeret tanquam vera membra unius eiusdemque corporis religiosi (XXXVI, 36). Regebantur per Abbatissam in Capitulo generali ad quadriennium electam (Lib. I. cap. XI. n. 4). Electio extraordinaria fiebat ab Abbate generali cum Definitoribus (ibid. cap. XXVII, 27).

Abbatissae habebant pro regimine Monasterii nonnullas moniales consiliarias, ex iis quae quadragesimum aetatis annum attigerant, seligendas (XXXVI, 43); Cellerariam quoque, duasque Depositarias, necnon et Archivariam, ut scripturae facile inveni-
rentur quin Vicarius, cum earum opus erat, Monasterium ingre-
deretur (44, 45).

Nulla monialis (monja) aut soror (freyla) in Monasterio recipienda erat, nisi praehabita inquisitione circa ingenuitatem sanguinis, honestatem vitae, salutem corporis, libertatem spiritus atque vocationem (XXXVI, 1), et requisito unanimi monialium consensu, atque Rmi. Abbatis Generalis licentia (2), quam denegare debebat si iam sufficiens monialium numerus existeret (3). Nihil ex bonis novitiarum accipere licebat (excepto quoad sustentationem) ut magis pateret libertas professionis (7), quam inquisiturus erat loci ordinarius praesente tamen Abbatissa ne inutiles interrogationes fierent (8). Sed minime ad professionem admittendae

¹⁾ Scilicet: Sti. Pelagii Compostellae; S. Pelagii Oveti; Stae. Mariae de Vega, Oveti; Stae. Mariae de Vega de la Serrana, Legionis, et Sti. Placidi Matrili (hoc recentioris foundationis). Cetera Monasteria O. N. pendebant immediate a Monasteriis monachorum, vel subiecta erant Ordinario loci.

²⁾ Constitut. antiq. cap. 60.

erant novitiae, quin prius integram dotem persolverent, cuius nec minimam partem remittere valebat conventus absque Rmi. Abbatis Generalis facultate (6).

Cum ergo Novitiae sextum decimum aetatis annum impleverant, riteque novitiatum perfecerant, consentientibus omnibus monialibus et approbante Abbate Generali promissionem emittebant praesente aliquo Praelato Congregationis, aut Monasterii Vicario iuxta Ceremoniale.¹⁾

Tam Moniales quam Sorores tenebantur ad divinum officium et observantiam, ieiunia et alia huiusmodi sicut Monachi et Conversi respective. Abbas Generalis providebat quoad tempus recitandi Matutinum horasque reficiendi, ac quantitatem qualitatemque ciborum iuxta locorum et personarum circumstantias (36, 41). Sacram Synaxim recipiebant prima Dominica cuiusque mensis et praecipuis festivitatibus; in Quadragesima vero singulis Dominicis et feria V in coena Domini (38). Pro audiendis earum confessionibus deputabantur, praeter Vicarium eiusque Socium, alii monachi saltem quadraginta aetatis annos habentes (39). Sacerdotibus saecularibus tantum licebat in earum Ecclesiis aliquando concionare sed cum facultate Rmi. Generalis (40).

Vestis monastica scil. cuculla, scapulare ceteraque erant nigri coloris ex staminea confecta (12); nihil sericum aut pretiosum mittebatur, neque eis licebat secum deferre gemmas aut monilia vel quidquam aliud ex auro aut argento praeter Crucem aut Reliquiam quae tamen extra non appareret (13). Quotannis duplex inventarium facere tenebantur, cuius unum exemplar Abbatissa retinebat, aliud sua manu subscriptum moniali tradebat (14). Prohibitum erat monialibus munuscula dare aut accipere vel quidquam conficere ac venumdare (16), epistolas scribere aut recipere sine abbatissae licentia, quae litteras legere debebat, secretumque servare (17).

Monasterii clausura altis parietibus munienda erat absque ullo foramine in eis (18), unoque tantum aditu (19), cuius porta nonnisi maxima necessitate aperienda et praesentibus duabus monialibus (20). Nemini intra claustra ingredi licebat sine licentia in scriptis Rmi. Generalis, quam tantum Confessario et medico erat concedenda (27) Pro officialibus, qui intus laborare deberent, sufficebat venia Abbatissae cum consensu Vicarii (28). Abbas

¹⁾ Formula professionis erat sequens: »Ego Soror N. promitto stabilitatem meam perpetuae inclusionis, et Conversionem morum meorum et Obedientiam coram Deo et Sanctis eius, secundum Regulam Sanctissimi Patris nostri Benedicti in hoc Monasterio Sancti N. Ordinis eiusdem Sancti, in praesentia Reverendi admodum Patris Fratris N. necnon et Dominae meae Dominae N. eiusdem Monasterii Abbatissae, et sub obedientia Reverendissimi Patris Magistri Fratris N. totius Congregationis Generalis.« (n. 9. Ceremonial pag. 730 — 31.)

Generalis nonnisi comitantibus sociis atque vicario, si quando opus esset, ingrediebatur (30).

Permittebantur famulae honestae pro servitio Monasterii, non autem pro privata moniali, nisi fuisset Abbatissa vel senior sexaginta quinque annorum, sed cum venia Rmi. Generalis (31). Item puellae educandae a decimo sexto ad vigesimum aetatis annum (32), quae omnes semel a Monasterio egressae, iterum rediri non poterant. — Tandem licebat admittere nobiles feminas, quae a saeculi pompis substrahi vellent, dummodo iuxtam compensationem solverent (ibidem).

Moniales a Monasterio exire nequibant, neque fas erat Rmo. Generali facultatem concedere, nisi in casibus a iure constitutis (34). Si quae monialis clausuram violaverit mulctanda erat arbitrio Rmi Generalis attentis rationibus et causis propter quas egressa esset (35).

II. De Vicariis.

Pro singulo Monasterio Monialium eligebatur tempore Capituli Generalis unus Vicarius eiusque socius qui durante munere censebantur conventuales Coenobii vicinioris, quin tamen in iis quae ad regimen Monialium pertinebant, Praelato illius subiecti essent (XXXVII, 1). Residentiam habebant iuxta monasterium monialium (3), erantque ipsarum Procuratores, quibus proinde Abbatissa suas vices tribuebat (4), verumtamen ministros iustitiae, capellanos, aliosque officiales mutare aut constituere nequibant absque consensu Abbatissae, quae pariter Vicariis consulere tenebatur circa horum munerum provisionem (5).

Vicarius intra clausuram ingredi non debebat sine gravi necessitate, neque intus quiescere ipsi licebat praeterquam cum attendere cogeretur Moniali graviter decumbenti et iam in periculo mortis constitutae; quod in eius absentia Socio suo quoque praecipiebatur (6).

Sectio tertia.

Epitome tertii libri Constitutionum.

Tertius liber Constitutionum peragit de studiis monachorum tam in Collegiis quam in Domibus Congregationis. Sic exordiantur Patres: „Inter occupationes viri religiosi et veri monachi nobilior et utilior magisque sibi, Ecclesiae ac proximis fructuosa est studium divinarum Litterarum, hoc enim studio redditur magis idoneus ad rerum divinarum contemplationem; ipso etiam perniciosam otiositatem devitat, ignorantiam ab intellectu expellit; cognoscit virtutis pulchritudinem ad eam amandam et sequendam, vitiorumque deformitatem ad ea fugienda et vitanda; roboratur scientia catholicarum veritatum ad defendendum Ecclesiam adversus

pestifera dogmata contumacemque haereticorum pravitatem et tandem aptior evadit ad proximos docendos dirigendosque in via salutis aeternae: haec omnia considerantes, quantumque splendoris et ornamenti fuerit studium universo ordini nostro praeteritis saeculis, quantum sit etiam nostris temporibus propter assidua monachorum nostrorum applicationem ad cultum Sacrarum litterarum, ex quo proveniret tot viros doctrina, virtute ac sanctitate praeclaros tum Ecclesiae tum Reipublicae praestitisse; desiderantes quoque hunc splendorem et honorem conservare et augere in Congregatione, itemque ut simul procedant observantia disciplinae regularis et studium scientiarum sacrarumque Litterarum, statuimus atque ordinamus sequentes Constitutiones (cap. I. n. 1).

§ I.

De Collegiis.

Pro monachis universae Congregationis instituuntur novem Collegia: nempe quatuor pro Philosophia, scilicet: Hirache, Ribas del Sil, Espinareda et Celorio; quatuor pro Theologia: Salamantica. Oviedo Poyo et Hirache; tandem aliud pro alumnis qui studium theologiae repetebant („Pasantes“) in Exlonza (n. 2).¹⁾

Regimen horum Collegiorum pendebat ex Abbatibus eorundem, qui observantiam constitutionum maxime curare tenebantur. Prioribus nihil competebat, excepto cum essent Praesidentes Coenobii (3–4). In singulis Collegiis theologiae erat Regens duoque Lectores, qui quotidie hora Prima. Tertia et post Vesperas lectionem tenebant, unde illis nomen indicebatur. (II, 1). Theologiae lectores quoad fieri posset assumendi erant ex illis qui iam in aliis Collegiis Philosophiam docuissent (ibi). Praeterea in Collegiis theologiae erat et magister alumnorum, cui exspectabat vices agere Regentis aut Lectorum et conferre cum scholasticis quae ad exercitia litteraria pertinerent (2); in Collegiis vero Philosophiae praeter Regentem unumque Lectorem adiungebatur qui huius vices ageret unus ex iis qui theologiam repeterant, magisque excellisset (3).

Nullus talium Professorum assumendus erat ad munus Prioris Monasterii ne ab exercitiis litterarum impediretur (I, 5), verumtamen poterant ad tempus in absentia Praelati manere veluti praesidentes. — Jurisdictione pollebant in alumnos ad eos corri-

¹⁾ In prioribus Constitutionibus (cap. LVIII pag. 169) invenitur Collegium Philosophiae in Monasterio Samonensi; itemque aliud in Exloncensi, ad quod postea translatum fuit Collegium Repetentium (Pasantes) quod exstabat in Coenobio S. Joan. de Poyo. Yepes meminit studiorum theologicorum in Obarenes (III, 386), et Carrione (I, 281, VI. 92). Saeculo XIX invenitur collegium Philosophiae in Monasterio Sahaguntino et pro studio theologiae Moralis in Coenobii Compostellae, Hirache, S. Martini et Stae. Mariae de Monteserrato Matrili.

gendos et puniendos in iis quae ad studia pertinebant, unde licebat eis leviores penitentias iniungere (II. 4) et si quis eorum simul esset Magister Juniorum, ipsi competebant omnia in constitutionibus praescripta sicut ceteris huiusmodi magistris (ibidem). Ad regentem et lectores exspectabat assignare socios alumnis ad percurrendam lectionem, ex quibus unum sibi seligere poterant servato professionis ordine (5). Praeterea licitum erat quoque ipsis ingredi cellas alumnorum ad invigilandum illos (6).

Tam Regentibus, quam Lectoribus, aliisque Professoribus solvenda erat quotannis quaedam taxa pecuniae ad emenda quae necessaria essent pro vestitu et studiis (IV, 2—5), et cum transfererentur ab uno ad aliud Collegium, Praelatus coenobii a quo exibant, solvebat viaticum personae et famuli, alter vero Superior vecturam librorum reliquorumque suppellectilium (6).

§ II.

De alumnis.

Nullus monachus mittendus erat ad Collegia Congregationis, qui maior esset triginta annorum, vel qui nondum tres haberet professionis, neque qui habituali laboraret infirmitate propter quam a carnibus abstinere non posset diebus praescriptis, nec tandem qui fuisset fugitivus licet iam condonatus (III, 1). Antequam quis Rmo Generali proponeretur examinandus erat in consilio Seniorum quin tamen hoc impediret ut, si Rmo. Generali videbatur, iterum illum per commissarios examini subiiceret (2, 3).

Monachis ad Collegia missis tribuendae erant vestes necessariae iuxta morem Congregationis sub poena privationis ab officio per annum in Abbatem qui eos aliter mitteret, et qui sic in Collegio ipsos reciperet (4). Praeterea eorum itinera et translationes per domum professionis solvenda erant (7) simulque impensae necessariae tam in via quam in Collegio faciendae, praesertim ad vestitum et libros comparandos (IV. 3). Monachi vero ad Collegium pergere tenebantur recta via sub poena inclusionis in cella per quatuor menses, ieiunii et flagellationis contra huiusmodi culpas indicta (III. 5).

Omnes alumni per triennium in quolibet Collegio studiis vacare debebat excepto casu dispensationis ab Abbate Generali, neque removendi erant sine gravi causa, praeterquam tempore feriarum, sed tunc remanere tenebantur in Monasterio maiori si discedebant a Collegio (VII, 5—7); qui autem ibi permanebant, transire poterant ad Prioratus aut grangias cum Praelato, etiamque comitari concionatoribus, dummodo ultra duos dies foras non manerent (IV. 14). Nulli alumno licebat intrare in Monasteria monialium quae forte essent in eodem oppido, aut quatuor leucis per circuitum; neque illis scribere vel dona mittere, exceptis

sorore aut amita; neque cum ipsis conversari, quando comitabantur concionatoribus sub poena privationis Collegii; quam incurrebant etiam qui ad suscipiendos sacros Ordines egredientes a via deflectebant (14, 15).

§ III.

De exercitiis litterariis.

In omnibus Collegiis lectio tradebatur singulis hebdomadae diebus, excepta feria V et festivitibus occurrentibus. Item erant dies feriati: a) a Dominica I^a Septembris usque ad festum S. Lucae; b) a vigilia Natalis Domini usque ad Circuncisionem; c) feriae II, III et IV Quinquagesimae mane; d) a Dominica Palmarum usque in Albis; e) tota octava Corporis Christi; f) Transitus et Translationis SS. P. N. Benedicti; g) SS. Patronorum Collegii; h) SS. PP. nostrorum Gregorii Magni, Ildephonsi, Anselmi et Bernardi; i) Commemorationis omnium Defunctorum Ecclesiae et Ordinis nostri; j) cum faciendae essent exequiae alicuius monachi, aut Conventus pro aliquo alio funere in Ecclesia assistere deberet (V. 1).

In omnibus item Collegiis alternis Dominicis (demptis mensibus Julii et Augusti) celebrabatur specialis academia in qua propugnabatur thesis per alumnos quibus Regens Collegii hoc committeret, quod item fiebat alternis mensibus in die feriato tribus horis mane et duobus vespere (2). Praeterea cunctis Dominicis et festivitibus a Sto Luca usque ad mensem Julium occurrentibus, in Collegiis Theologiae omnes alumni concionare debebant, servato ordine professionis, quin ullus exciperetur. Prima vice dabatur eis terminus quadraginta dierum; secunda, triginta; tertia, viginti, quarta, quindecim abque exemptione chori, nec lectionis, neque alterius exercitii. Quinta vice concedebantur octo dies cum exemptione chori; sexta, tres dies cum exemptione quoque studii, non autem Lectionis; tandem septima vice concionaturi erant intra terminum unius diei (VI. 6). Ad hoc indicenda erant Evangelia, et alumni compellendi ad lecturam SS. Patrum, ut nequaquam alienos sermones usurparent. In ipso etiam refectorio corrigendi erant coram omnibus censuraque notandi ut magis ac magis emendationem conarentur.

Pro diebus academicis statutum erat peculiare horarium (IV, 8, V 3 seq.) diebus autem feriatis, dominicis et festis, totaque Hebdomada maiori servabatur horarium commune (VI. 1—4). Singulis mensibus, die feriato, concedebatur extraordinaria recreatio (IV. 9). Itaque post exercitia monastica omnes alumni cum Priore, aut aliquo ex Lectoribus, ad agrum egrediebantur, aut, si fieri non posset, ad hortum Monasterii, vel ad locum ubi silentium servandum non esset, ibique ipsis permittebatur honestis

ludis vacare, versus et carmina legere dummodo Charitatem non laederent (13).

Quotannis in fine cursus scholastici omnes alumni examini subiiciebantur per speciales commissarios Rmi. Abbatis Generalis, qui singulo lectiones tradebant intra unius diei terminum satisfaciendas (VII, 1. 2), et postea qualificationes commissariorum praemisso iuramento factae ad Abbatem Generalem mittebantur (2). Quod si aliquis alumnus minus aptus ad studia inveniretur, aut culpa sua illa neglexisse compertum esset, illico erat collegio privandus, atque in proprium Coenobium remittendus (3)

§ IV.

De Collegio Salmanticensi.

Praecipuum Vallisoletanae Congregationis Collegium erat Salmanticense Universitati eiusdem urbis incorporatum, in qua ex concessione Regis Catholici duo monachi huius Congregationis erant Professores Primae et Vesperarum (ut tunc dicebatur). Pro servitio huius Collegii eligebantur tempore Capituli a Definitoribus, vel extra illud a Rmo. Abbate Generali, Regens, Lector Theologiae duoque Magistri ex monachis qui saltem per biennium sacram theologiam docuissent (2), ad quorum sustentationem aliasque collegii necessitates speciales taxae imponebantur singulis Monasteriis (19, 22), praeter quod pro respectivis alumnis unumquodque solvebat tenebatur. Abbatibus Salmanticensis cura erat ut quotannis alumnorum nomina inferrentur in censum Universitatis, et decernere cum consilio Magistrorum quae legenda essent et qua hora quisque ipsorum cathedram tenere posset (11).

Servabatur quoque substantiam horarium pro ceteris Collegiis praescriptum (9), ratione tamen loci nonnulla specialiter ordinata fuerant. Itaque post primam alumni cum suis magistris tendebant ad Universitatem, ubi per horam cum dimidio aut duas horas, iuxta tempora, tradebatur lectio. Post Missam conventualem legebat lector Tertiae, et postea per horae dimidium fiebat conferentia seu collatio ex thesibus quas Professores tradidissent, secus ex Commentariis Emi. Cardinalis Aguirre O. N. in S. Anselmum (4, 5). Post Vesperas iterum ad Universitatem pergebant. Aliquando cuncti alumni, aut aliqui eorum, iuxta dictamen consilii Collegii, assistebant ad aulas aliorum Coenobiorum, aut Collegiorum, praesertim ad thesium propugnationem, atque oppositionum exercitia, et si forte invitatum fuerit Collegium (12).

Tam euntes ad Universitatem aut Collegia, quam inde revertentes, coniunctim iter facere tenebantur, nec cuiquam a communitate recedere licebat sub gravibus poenis in eum qui delinqueret, qui secunda vice a Collegio erat expellendus (13). Iisdem poenis etiam puniebatur qui, gravi causa ab Universitate vel

Collegio exiens, via recta domum non rediret (14). Item prohibitum erat Praelato concedere alumnis ut egrederentur a Monasterio praeterquam cum ab aliis collegiis invitati fuerant, vel ad ea invitanda exire deberent. Neque licebat illis egredi ad funeralia vel festa ceterarum communitatum, nisi confraternitatis vinculo conjunctae essent; nec ad processiones generales aut particulares excepto ad actus Universitarios (15—16). Denique vetitum erat Patribus secum deferre ullum alumnum diebus academicis, et ad alia loco pergere (18).

§ V.

De Collegio Exloncensi.

Alumni, qui praestantiores evaserant in Collegiis theologiae, mittebantur ad Monasterium Sti. Petri de Exlonza, ut adhuc per triennium eiusdem sacrae facultatis studio vacarent, qui propterea repetentes (Pasantes) dicebantur. Ad eos informandos designabantur duo regentes¹⁾ qui alterna hebdomada conferentias dirigerent (IX, 1—2).

Exercitia horum alumnorum praecipua erat collationes mane et vespere super theologiam scholasticam et moralem, in quibus singuli absque ulla exceptione, servato habitus ordine, partem suam defendere ac propugnare tenebatur (6, 7).²⁾ Ob maximam assiduitatem ad hoc requisitam vetitum erat Praelato Collegii licentiam eis concedere ut exirent diebus lectionis nisi ob praedicationem. Ut autem huic exercitio se assuefacerent concionabant in Ecclesia Monasterii omnibus diebus adventus et quadragesimae; etiamque foras in locis vicinis dummodo eodem die ad collegium redire valerent (9, 10).

Ex hisce alumnis, postquam studiorum curriculum adimplebant, providebantur munera Lectoris et Magistri Collegiorum Congregationis, nec non Praedicatoris Domorum eiusdem (3), unde nihil mirum quod fere omnes pervenirent ad primas dignitates.

§ VI.

De Magistris et Professoribus.

Duo erant Collegia huius Congregationis quae potiebantur honore ac juribus Universitariis, nempe Hirachense et Ovetense, in quibus servatis servandis conferebantur tam monachis quam ceteris seu ecclesiasticis seu laicis gradus academici „Magistri“ (X, 1). Monachi, tamen, nec in hisce Collegiis, neque in aliis regni Universitatibus, obtinere poterant huiusmodi gradus sine

¹⁾ Capitul. gen. an. 1761 decrevit ut nominaretur tertius regens, qui vices praedictorum ageret cum opus esset (Muñoz § I, n. 20).

²⁾ Capitula gen. an. 1814—18 iusserunt lectiones tradi per Summam D. Thomae.

licentia Capituli, aut Abbatis Generalis,¹⁾ quae concedenda erat tantum in casu necessitatis ad oppositiones pro adipiscenda Cathedra in Universitatibus requisitas, et solum illis qui per triennium Theologiam docuerant, aut per sexennium munere praedicationis cum laude functi fuissent (2) praeterea requirebatur ut per horae spatium disererent super Magistrum Sententiarum et per aliam horam difficultates positas solverent (3).

Magistri Accademiae Salmanticensis laureati expensis ac licentia Congregationis, alique Professores Universitatum qui iuxta praescriptum in Constitutionibus cathedram obtinuerant, potiebantur privilegio Magistrorum generalium, dummodo per duodecim annos docuissent et sexdecim in Collegio resedissent (7). Professores autem Salmanticenses iubilationem obtinere non valebant nisi post viginti annos in cathedra emensos, quapropter nunquam officia incompatibilia eis committebantur (5).

§ VII.

De Lectoribus.

Praeter Lectores collegiorum, eligebantur quoque a Rmo. Abbate Generali cum Definitoribus alii Lectores theologiae moralis pro praecipuis Monasteriis Congregationis (Lib. I. cap. XXV, n. 11). Hi postea optare poterant ad gradum Magistri generalis expleto lectionis cursu iuxta constitutiones (XI, 4). In reliquis Monasteriis designabantur a Praelato qui hoc munus adimpleturi erant (ibidem) itemque ab eodem cum Seniorum concilio quae a Lectoribus durante anno tradenda erant.

Quotidie a festo Sti Lucae usque ad S. Joannis Bapt. sequentis, nisi aliqua solemnitas aut gravi aliud impedimentum occurreret, in omnibus Monasteriis et locis, quae saltem sex haberent Monachos, lectio theologiae moralis post Vesperas explicabatur a praedictis lectoribus. Nullus monachus ab hac lectione audienda excusabatur, quod si secus fieret, Abbas Generalis tempore visitationis tam praelatos quam subditos contrafacientes condignis poenis punire debebat (1, 2). Ad excusationem vero vitandam Praelato iussum erat providere monachis opportunis libris (5).

§ VIII.

De Praedicatoribus.

Praedicatores ordinarii cunctorum fere Coenobiorum nominabantur a Rmo. Abbate Generali cum Definitoribus tempore Capituli ut suo loco dictum est (lib. I. cap. XXV. n. 6. 8). Nonnulli designabantur a propriis Superioribus ex monachis qui

¹⁾ Capitulum gen. an. 1828 declaravit huiusmodi licentiam nullam prorsus reddi, si illi, quibus concessa fuerat, durante quadriennio gradus academicos non suscipiebant (n. 7).

saltem per triennium studiis theologicis vacavissent, sed priusquam facultatem obtinerent, subiiciebantur examini per consilium Seniorum (XII. 1, 7). Si quis autem licentiam huiusmodi Ordinario loci petere auderet, privabatur perpetuo voce activa et passiva (ibidem lib. 2. cap. VIII. n. 1).

Praedicatores concionare debebant diebus festis D. N. Jesu Christi et B. Mariae V., SS. P. N. Benedicti, S. Gregorii Magni, Omnium SS. Ecclesiae et Ordinis nostri et Exaltationis Stae. Crucis, itemque Dominicis Adventus et Quadragesimae, necnonet feria V. in Coena Domini (2). Inter ipsos distribuebantur Sermones ita ut servarent quemdam ordinem, unde praeferebatur praedicator generalis, si adesset, aut Abbas si vellet concionare, et deinde qui nominatus fuerat in Capitulo. Praeterea bis in anno, nempe, circa festum omnium SS. et Resurrectionem D. N. Jesu Christi publice affigebatur catalogus eorum qui durante illo temporis spatio concionaturi erant (5).

Tandem ut iuvenes monachi utiliter exercitarentur, erat in potestate Praelati ut illis concederet concionare non solum in refectorio et Capitulo, sed in Ecclesia quoque et in Prioratibus ac locis annexis (5).

§ IX.

De Bibliotheca.

„Quia Bibliotheca est officina propior Monasteriorum et Collegiorum, et tamquam Depositum quod frequentare debent monachi ad extrahendum thesauros sapientiae in libris reconditos, ordinamus, aiunt Patres, ut maxime curetur quod in omnibus Coenobiis et Collegiis Congregationis sint Bibliothecae publicae, in quibus reponantur libri Theologiae, Philologiae, utriusque iuris et aliarum scientiarum, quas discere necessarium est“ (XIII, 1). Ideo in singulis domibus deferendi erant ad Bibliothecam libri defunctorum (2, et lib. II. cap. XIII n 7), et si Abbas Generalis cum visitationem peragebat, videret minorem esse Bibliothecam, ordinare poterat ut ex redditibus Monasterii destinaretur aliqua pars ad libros comparandos (1). Ubi iam esset impleta Bibliotheca, faciendae erant aliae minores in quibus reponerentur praecipue Sacra Scriptura, eiusque translationes ac glossae, opera SS. Patrum, aliaque utilia Praedicatoribus, ne domus vecturam librorum eorundem solveret (4).

Ad custodiam Bibliothecae apponendus nec monachus cui tradebatur inventarium Bibliothecae. Nullus religiosus, nec ipse quidem bibliothecarius extrahere inde poterat libros pro se aut pro aliis sine Superioris venia, sub poena excommunicationis latae sententiae,¹⁾ Illa obtenta requirebatur adhuc ut ibi maneret.

¹⁾ Huiusmodi severitatis, multoties perquam necessariae, non pauca sunt exempla non solum in constitutionibus aliorum Ordinum, sed Civitatum quoque ac municipiorum statutis ut videre est in Bullario Romano.

nota in qua constaret nomen extrahentis, opus extractum, dies tempusque quo illo uti volebat, a qua lege nec ipse Superior erat immunis (3).

Manuscripta monachorum iam defunctorum deferenda erant ad Archivum vel Bibliothecam Coenobii in quo professionem emisserant (2). Non licebat vendere libros ab eisdem relictis, seu ab iis qui extra Congregationem ad dignitates promoti fuerant, sub poenis contra alienantes res pretiosas Monasterii a iure statutis. Verumtamen si eadem exemplaria iam invenirentur in Bibliotheca, permittebatur illos commutare, aut vendere, sed ad alia comparanda (5; XIII, 7. Lib. 2).

(Continuatio sequitur anno sequenti.)

Die Aufhebung des adeligen Benediktinerinnenstiftes Holzen.

Geschildert nach den Akten des fürstlich Hohenzollern'schen Archives in Sigmaringen und der gräflich Treuberg'schen Registratur in Holzen

von J. Traber, Bibliothekar am Cassianeam in Donauwörth.

(Schluß zu H. II—III. 1906, S. 282—299.)

Bei dem Umstande, daß die Hoheitsrechte über die Herrschaft Holzen jahrhundertlang einen Zankapfel zwischen dem Hochstifte Augsburg und der Markgrafschaft Burgau bildeten, war es ganz natürlich, daß, nachdem Bayern mit dem Anfall des Hochstiftes Augsburg auch die Landeshoheit über Holzen in Anspruch nahm und durch eine Kommission die Klosterbesitzungen an das fürstliche Haus Hohenzollern-Sigmaringen übergab, es zu Differenzen mit der Markgrafschaft kommen mußte.

Der k. k. Gerichtsvogt in Buttenwiesen, Samassa, erhielt alsbald Kenntnis von den Vorgängen in Holzen und sandte schon am 2. Dez. durch einen Expressen ein Schreiben an das Pflegamt Holzen, worin er über die Anwesenheit des kurbayerischen Kommissärs „um eine legale Auskunft“ bat und für den Fall, daß die ihm zugegangene Anzeige auf Wahrheit beruhe, feierlichst gegen die angemachte Landeshoheit protestierte. Das Schreiben wurde dem bayerischen Kommissär, Hofrat Reiber, vorgelegt, welcher das Pflegamt beauftragte, „die gemachte Protestation mittels Repestation unter dem Anhang rückzuentkräften, wie es dortseits unbenommen bleibe, ans kurfürstl. hochpreisl. General-Landes-Kommissariat selbst sich wenden zu wollen, wovon obgedachte Commission anher bevollmächtigt worden seye.“ Der Gerichtsvogt zeigte nun die Sache dem burgauischen Oberamte